



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quòd etiam Abasgi ijsdem temporibus Christianæ fidei mysterijs imbuti
sunt. Caput XXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

EVAGR. HISTORIAE

mam obsidentibus, Belissarius, quoniam Siluerium Pontificem suspectum habebat de proditione, eum in Graciam relegauit, Vigiliumque constituit Pontificem.

Quod Eruli qui dicuntur, Iustiniani temporibus Christi fide initiati sunt.

CAPVT XIX.

Eisdem temporibus, uti idem scribit Procopius, Erulos, qui tempore, quo Anastasius Romanum rexit imperium, Danubium traiecerunt, à Iustiniano benigne & humanitus tractatos, & magna pecuniæ vi ab eodem donatos, omnes ad vnum religionem Christianam receperunt, agrestemque vitæ consuetudinem, ad mansuetiorem ciuilioremque commutasse.

Quod rursus Romam, sub Gottis cum fuisset, Belissarius iterum in libertatem asseruit.

CAPVT XX.

Narrat porrò idem author, Belissarium rediisse Constantinopolim, & Vittigem cum spolijs Roma secum deportatis eò deduxisse, Totilamque Romano potitum imperio, & urbem rursus in Gotthorum venisse potestatem: quinetiam Belissarium secundò in Italiam profectum, Romam recuperasse, eundemque, bello cum Medis suscepto, ab imperatore Constantinopolim iterum accersitum.

Quod etiam Abasgi iisdem temporibus Christiana fidei mysterijs imbuti sunt.

Caput XXI.

Memorat præterea idem Scriptor Abasgos ad mitius humaniusque vitæ genus traductos, eisdem temporibus fidem Christianam receperunt: Iustinianumque Imperatorè, quendam ex Eunuchis aulicis, Abasgū genere, nomine autem Euphratam ad eos misisse, qui vetaret, ne cuiquam in ea gente, quasi vi illata naturæ, testiculi exciderentur. Nam qui cubiculis Imperatorum inseruiebant, quos vulgò vocant eunuchos, sæpe ex ea gente sumi consueuerunt. Per idem tēpus Iustinianus, templo Deiparæ apud Abas-

Abasgos ædificato, Sacerdotes illis designauit: à quibus Christianæ religionis dogmata accuratissimè didicerunt.

Quòd qui Tanaim incolunt, eodem tempore Christi fidem amplexati sunt, & de terræ quassationibus quæ per Græciam & Achaiam euenerunt.

Caput XXII.

EST porrò ab eodem historico scriptis mādatum, eos qui circiter Tanain habitāt (Tanain autem appellant indigenæ amnem illum, qui ex Meotide Palude in Pontum Euxinum influit) orasse Iustinianum, vti episcopum ad ipsos mitteret. Iustinianum autem diligenter, quod erat ab illis rogatum, perfecisse, libentissimoque animo ad eos misisse episcopum. Idem author docet, id quæ valde diserte, Gotthos, regnante Iustiniano, ex Mæotide in fines Romanorum excursions fecisse: ingentisque terræmotus accidisse in Græcia, Bœotiam quoque, Achaiam, & loca circa sinum Crissæum cōcussa, regiones infinitas vastatas, vrbes ad terram deturbatas, & hiatus multis in locis contigisse, qui in vnū denuò in aliquibus locis coiùere: in nonnullis locis, aperti mansere.

De Narfa Ductore exercitus, & eius erga Deum pietate.

Caput XXIII.

Scribit etiam Procopius expeditionem Narfis ducis à Iustiniauo in Italiam missi, & qua ratione Totilam deuicerit, & postea Tejan, & quemadmodum Roma iam quintò capta fuerit. Commemoratum est porrò ab his, qui vnà cum Narfe fuerunt, dum precibus & alijs pietatis officijs diuinum numen placaret, debitumque cultum ei tribueret, sanctam virginem Deiparam ei apparuisse, planeque tempus præscripsisse, quo bellum cū hostibus gereret: atque vt nō prius ad prelium committendum se accingeret, quam cœlitus signum acciperet. Multæ aliæ quoque res à Narfe valde memorabiles gestæ sunt. Nam Buselinum, & Syndualdum expugnauit, multaque loca ad Oceanum vsque, in suam redegit potestatem. Quæ res sunt quidem ab Agathio rhetore literis prodite, nōdū tamē ad nos peruenerūt.

Quòd